



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

II. Probatur eorum γνησιότης & antiquitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

figmentis hominum fenestra patefiet. At Ebraei cum Jeremiæ acceptos referant libros Regum, Esdræ vero libros Paralipomenon, hos in illis notari neutiquam credere possunt. Præterea vel ipsum nomen *Συλλογισμῶν*, Libris illis à Græcis inditum, ostendit posteriores esse libros Regum, ut pote in quibus suppleta sint plura, quæ cum in aliis Scripturæ sacræ libris, tum maxime in libris Regum desiderabantur.

II. Cæterum cum genuinum esse librum definiverimus, qui ab eo Auctore scriptus est, à quo scriptus esse dicitur, & eo circiter tempore quo scriptus esse fertur, omnino dicendum est genuinum esse librum Paralipomenon, qui controversum habet Auctorem & ætatem, ita uti habere dicitur, quique genuinus alioquin habitus est ab ætatibus continuata serie & proxime sequentibus: nam & in Canonem relatus est quem Esdras ipse composuit, & in Septuaginta Seniorum Interpretatione locum habuit, quæ non totis duobus sæculis Esdra recentior fuit. Atque hæc ad præsens opus sufficiunt: nam propter Libri novitatem, vix ulla ejus testimonia occurrunt in Scriptoribus sacris Veteris Testamenti. Legimus tamen hæc in libro Nehemiæ: *Filii Levi, principes familiarum, scripti in Libro verborum dierum*, quibus indicantur ea quæ extant nono capite libri prioris Paralipomenon, commate decimo & sequentibus. At in Novo Testamento librorum Paralipomenon auctoritatem agnovit Petrus cum dixit: *Et si Patrem invocatis eum qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini*. Hæc enim arcessivit ex istis libri secundi Paralipomenon: *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupiditas munerum*.

III. Sed & hic intercedit Thomas Hobbesius, & ex usurpata aliquoties his in libris clausula, *Usque in presentem diem*, scriptos esse colligit longo tempore post res ipsas gestas. Quod magna sane ex parte verum est, cum historia hæc initium ducat ab orbe condito, & in Cyro definit. Quotiescunque autem adhibetur hujusmodi clausula, à tempore quo res illic narrata contigit, ad id usque tempus quo Librum concinnatum posuimus, tale intercessisse spatium comperies, cui convenire possit ista temporis determinatio. Scrupulum tamen injicit locus unus qui habetur capite quinto libri secundi, ubi Arca in Templum à Salomone illata, dicitur in eo fuisse, *usque in presentem diem*. Hinc potest concludi, non quidem recentiorem esse Librum eo tempore quod assignavimus, ut vult Hobbesius, sed vetustiorum, scimus enim ex secundo Machabæorum Jeremiam in spelunca montis Nebo Arcam occuluisse, cum Jerusalem à Chaldæis diriperetur, & prædixisse locum fore ignotum, quoad Deus populum suum congregaret. Unde efficitur ante Hierosolymæ excidium scriptos esse Paralipomenon libros, cum ante motam Templo Arcam scripti sint. Idem de libris Regum pronuntiare queas, quibus paria propemodum continentur. At meminerimus tum Regum, tum Paralipomenon libros ex variis vetustioribus historiis esse excerptos, quod ita factum existimo, ut non sententiæ solum, sed & verba etiam sæpe descripta sint. Mihi itaque sit verisimile, testimonium quo Arcæ in Templo depositæ habetur mentio, ex libro antiquiore fuisse *ἀπολαβῆ* depromptum, & in libros Regum & Paralipomenon infartum. Utrobique enim verba extant hæc eadem, ut valde probabilis conjectura sit ex eodem fonte esse profecta.

IV. De libris Paralipomenon nihil certi habere se ait Scriptor Theologo-Politicus, præterquam de ætate qua elaborati sunt, quam instaurato per Judam Machabæum Templo recentiorum esse asseverat. Cujus opinionis has causas affert: *Capite nono Libri prioris narrat Historicus, quenam familiae primum (tempore scilicet Esdræ) Hierosolymæ habitaverint: & deinde versu decimo septimo Janitores, quorum duo etiam in Nehemiæ capite undecimo, versu decimo nono narrantur, indicat. Quod ostendit hos Libros dudum post Urbis reedificationem scriptos fuisse*. Hæc satis obscura sunt: nam quod familias Babylone Hierosolymam reversas, ibique constitutas, & Templi Janitores Historicus recenset, cur inde sequatur librum Juda Machabæo recentiorum esse, non satis intelligo. Nisi forte ita censuit, in Urbe nondum penitus reedificata, & Templo vix restituto, neque familias sedem ponere, neque Janitores officio fungi potuisse: quæ tamen facta fuisse apparet ex libris Esdræ, in quibus pleraque etiam eorum nomina extant, quæ nono hoc capite prioris Paralipomenon commemorantur.

V. Quæ vero petuntur argumenta ex discrepantiis, quæ hos Libros inter & lib. III. Regum intercedunt, jam sæpe Interpretum studio soluta sunt. Ea autem fere omnia oriuntur ex depravatis Ebraicis exemplaribus lectionibus, Cujusmodi illud est quod profert Philosophus Theologo-Politicus ex vicesimo secundo capite secundi Paralipomenon, ubi fuisse legitur Ochozias quadraginta duorum annorum cum regnum ca-

Probatum eorum ymoic & antiquitas.

Nehem. 12. 23.

1. Petr. 1. 17.

2. Petr. 19. 7.

Reselluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. Hobbes Leviath. cap. 13.

2. Mach. 2. 5.

3. Reg. 3. 8.

Secundum argumentum. Tract. Theol. cap. 10.

Tertium argumentum.

Tract. Theol. cap. 9. 2. Par. 11. 1.